

CXIX.

Anno 1396. 24. Junii. Nonae.

**Sigismundus Rex insulam Pagum a dominatione Jadren-
sium liberam declarat.**

Nos Joannes, apostolicae sedis gratia Zagrabiensis Episcopus, Decretorum Doctor, Serenissimi Principis et Domini Domini Sigismundi, eadem Dei gratia inclyti Hungariae, Dalmatiae, Croatiae etc. Regnorum Regis, Marchionis Brandeburgensis etc. Secretarius etc. Cancellarius etc.; Nicolaus, Dei gratia Regnorum Dalmatiae et Croatiae Banus, per executionem regiam ad ipsas partes Dalmatiae et Croatiae pro inquirendis suis iuribus regalibus et vniuersis querulantibus iudicio et iustitia impendendis, nec non quibusvis defectibus et incommoditatibus ipsorum regnorum suorum et ciuitatum suarum, in regno Dalmatiae constitutarum et existentium, specialiter autem in factis et causis inter nobiles et prudentes viros rectores, consilium, et commune civitatis Jadrensis ab una parte, ex altera autem rectores, consilium, Commune insulae Pagensis vertentibus, indicandis, disponendis et reformandis, cum pleno monument. potestate seu facultate, celsitudinis regiae Vicarii, seu delegati generales, notum facimus: Solum Deum habentes prae oculis, commisimus et iudicauimus, vt praefata insula Pagensis, omnesque habitantes eiusdem a modo deinceps temporibus futuris, vna cum singulis possessionibus saluis, de dictorum Jaderlinorum manibus, potestate, dominio, libera, exempta, absoluta habeatur; ex causa et rationibus praeallegatis, ipsam insulam pagensem, dicta auctoritate praedicti Domini Nostri Regis, nobis in hac parte attributa, coeui vniuerso et consorcio caeterarum ciuitatum regaliū Dalmatarum coadunantes et aggregantes, dictis Jadrensis et ipsorum haeredibus et vniuersis posteritatibus eorundem dicta auctoritate nobis concessa silentium perpetuum imponentes etc. Datum Nonae, die XXIV. Junii. Anno Domini MCCCXCVI.

Farlati T. V. p. 446.

CXX.

Anno 1397. 26. Octobris. Temesvarini.

**Sigismundus Rex Dalmatinis civitatibus spondet, se Seg-
niam venturum, ibique Diaetam generalem celebraturum
esse.**

Sigismundus etc. Fideles nostri dilecti. Gratum quippe Maiestati nostrae non parum extitisset, ad hanc nostram congregationem Temisiensem oratores Ve-